quæ facta fuit refugij, & Levitis data 1. Paral. 6. V. 67. hodie
Pelosa sive Naplosa inter duos montes sita, post Christi Nativi:
tatem etiam Neapolis, & Flavia Neapolis dicebatur. Naim Luc. 7.
V. 11. Civitas in Tribu Issachar, in finibus Tribus Zabulon, quam Tor:
rens Cisson alluit ad Aquilonem, in secundo miliario montis Thabor,
ad Meridiem, non longe à Nazareth & Endor. Urbs cujus portæ
cùm appropinquaret Jesus Filium viduæ unicum qui efferebatur ad
Sepulchrum à mortuis suscitavit, redivivumque Matri restituit.
Indulgentia lucranda Plenaria: uti etiam in monte Thabor. Josue
19. V. 22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor. Hic specialiter Ser.
19. V. 22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor. Hic Specialiter Ser.
mo fit de Monte Thabor Iudic 4. V. 6. septuaginta Interpretes, ebyer.
cus Thabor 1. Reg. 10. V. 3. Sic psal. 88. V. 13. Osee verò 5 V. 1. est
itaque Itabyrium Josephi, quem Polybius Atabyrium nominat, mons
in Tribu Zabulon, Traditione ductus Domini Nostri Jesu Christi trans;
figurationem factam fuisse super montem Thabor, qui in medio campo
Galilææ erat. In Civitate Nazareth Ecclesia Annunciationis: Fons
BB. V. Mariæ. Domus S. Josephi. Sancta Maria, Timoris vocata.
Mensa Christi ubique Indulgentia septem annorum. Tanta alia la
ca ab ipso Jesu Christo, Sua Sª. Matre, Sanctis Apostolis, alijsque
Sanctis Patribus Sanctificata creduntur, ut vix singula minuta:
tim Scriptores referre valent, proinde etiam ego pro aliqua Sal.
tem animæ Amantis notitia, Passionis Jesu Christi meditabunda
currente annotare volui calamo, ut qui ob impedimenta rationa:
bilia Sacram visitare nequit corporaliter Palæstinam, visitet ad
minus, se reflectendo sæpius amorosæ Salvatoris Nostri Passionis
meditabundus spiritualiter, compatiendo suo Amabili Animarum
Reparatori cordialiter, ut tandem Illi conregnare valeat cœlitus.

Caput LXXXII.

De Persecutione Missionariorum.

Notaveram mox ante C. LXVI. de persecutione Fratrum Mino:
rum SS. Sepulchri Custodum, semper ab hæreticis orientalibus per
secutorum: non minus, ac persequi audit Fratribus Missionibus
Missionarijs Apostolicis Propagandæ Fidei, in vinea Domini laborant

tibus, ordinatis à corruptis pecunia Mahometanis per hære:
ticos Europæorum Inimicos concitatis, semper pejores ipsis Turcis
Gentilibus & Idolatris varijs falsis, imaginativis, excogitatisque ra:
tionibus meditantes expellendi, aut occidendi omnes Apostolicos
Operarios, odio implacabili ob multos in Gremium Christi sibi præcep.
tos ac ad salvificam conversos Fidem, perdere satagunt: non aliò quàm
sufflante malo Genio. Anno 1751. Mense Majo, si non è tota, sal.
tem Superiori Ægypto ubi major animarum Messis expellere, vel
si possent trucidare, cum Vice. Rege ad colligenda annua Tributa adve:
niente, consilium iniêre. Vix igitur per Nilum Vice Rex cum Sangiacx
Girgensem appulit Civitatem bene antehac scrutantes hæretici, pecu:
nia unius portæ Serbegi seu Gubernatorum corruperant ad accusan:
dos Vice Regi Missionarios. fore perturbatores Civium, in eorumdomo
sibi extruxisse Ecclesiam cum varijs sanctorum, ac Crucifixi Figuris
contrà Alcorani vetitum, campanas pulsando, fore gentem iniquam,
seducentem populum, pessimæque fore famæ solitos loqui solos so.
lis cum mulieribus, quod maximum Mahometanis crimen, ac ignomi.
nia, utendo Sacramento pænitentiæ pro facinoribus, illecebris, ac impu
dentijs conversantes mulieribus, plurima perversa practicando imagina:
bilia. Hæc ac his majora audiens Vice Rex in summam actus rabiem &
furiam, strictum præbendo ordinem Missionarios cum catholicis capiendos,
quod etiam die sequenti 30. Maij cadente, primò sacratissimi Pente:
costes die, ut anhelabant, successit Inimicis, nobis totum conspiratio:
nis consilium ignorantibus. Ego Pater Remedius juxta solitum jam
pro tunc ante Solis ortum, pro primo conveniente Populo sub terra loco
secretissimo, Missam celebravi, in his Ægypti locis consueto: dein in su
periori Hospitij parte, curam adventantium Christianorum & Turcarum
gerens Infirmorum, medicinas præbendo, venas secando scarificando
ut ita liberius post Solis ortum divina peragi queant: quæ etiam felici
successu ad offertorium peracta, Socius in præfato secreto loco incipiebat:
me nil sinistri reflectente, insperatè tres Janizarios à Vice Rege missos
portam secretam à servo nostro custoditam violenter perfringentes, con:
speri de superiore quærebant, alij venam dimittendi se simulabant
et dum jam jam uni servire vellem, aperiendi venam, Sine Magister.

dicebat miles, non me bene sentio, aliâ dimissurus die; modò hoc
tute unâ cum nostro servo me custodiebant, ne ullus nostrum Præ:
:dicantem informare queat, nam subtus terram fortius clamantem per:
:cipiebant, exinde duo militum superiorem domûs ascendendo partem
sonum vocis quærebant Prædicantis, usque dum storeâ coopertum adin:
:venissent locum, ac eâ elevatâ per scalam in locum subterraneum des:
:cendissent, congregatos cum Prædicante Catholicos reperêre. Verùm Deo
ità disponente in superiori pergula quasi choro Janizari Milites se deti:
:nendo prædicantem audiebant, mox cum admiratione à Christianis in
terra sedentibus conspecti timore plenis, paulatim per secretam inter:
:iorem portam fugam quæsiêre feliciter post se occludendo transitum solo
restante Prædicante. Janizari Milites à Deo quasi obcæcati, primò è pergu:
:la ad capiendum descenderunt Patrem, omnibus salvis Catholicis, rabio:
:si conducebant Prædicantem. Ego interim quid intus fiebat ignorabam,
etiam alijs duobus advenientibus Janizaris, tanquam infernalibus
Furijs malè tractatus, hinc inde tractus, colaphis cæsus: eandem
sortem obtinendo verberum alius Missionarius Martinus à Boemia
ab infirmo redux, nil de exorta sciens persecutione, plurimis salu:
:tatus colaphis, totus sanguine perfusus et ne forsan cum Prædicatore
Patre Paulo ab Agnona fugam arripiat, cautè à militibus custoditus
Ille interim Patrem Remedium è domo violenter per plateas in veste
olim domestica uti latronem trahebant, plurimâ concurrente turbâ in
nostrûm confusione lætabunda, ad Vice-Regem iniquè conducebant. Roga:
:bam rabidos, me saltem honoratiùs vestire sinant, ac domum redu:
:cant, multis igitur precibus domum reductus solito turbante veste
arabica imbutus, cum duobus cum confratribus extra Civitatem tan:
:quam iniquissimi latrones, aut homicidæ trahebamur, nil scientes quid
nobiscum acturi! & quia tunc Vice-Rex totâ cum militia sub Tentori:
:is castrametaverat illuc conducti, nil sinistri opinando, minus
aliquam præfigurantes conspirationem à Coftis & alijs hæreticis accu:
:satam, ignorando cur rapti ac tanta cum furia vexati: duabus
quasi horis sub tentorio unius Officialis detenti, quid nobiscum ac:
:turi nil penetravimus, donec tandem duo alij Officiales cum Ja:
:niciaris advenientes, in ultimum castrorum terminum versus Ni:
:lum nos conduxissent, ubi furiosè à Satrapis forti catenâ fer:
:rea omnes tres insimul collo alligati, nil aliud præter Vice-Regis
voluntatem intimârunt. Ideò catenam summo cum tripudio cordis

recipientes osculati, nunquam à Deo hanc nos fuisse meritos
gratiam meditabamur, simili à Misericordia divina donari
beneficentia, profusi in lacrymas, gaudentes pro Nomine Jesu
contumeliam posse pati. Interim Turcarum, Gentilium, Chris:
:tianorum hæreticorum plurimas opprobriorum maledictiones pas:
:si, replicando vociferandove, videte, videte vos Plagos, maledic:
:tos Francos, se simulantes lætari; ô Canes, ô Infideles! conspuebant
nos, pulveribus terræ conspergebant, mille ignominijs afficiebant,
dicentes, nunc brevi experiemini, quid recepturi mereamini! continuò
interim potentissimo solis circà meridiem expositi ardori, absque omni
potu & cibo desudabamus, pro fortiter certando certamine nos pa:
:rantes Dei assistentiam implorabamus: tandem aliquot post ho:
:ras unus nostrorum Catholicorum fidelissimus, nil populi
insultantis curans minas, nos adeundo, dolorosè compatiebatur, se
nobiscum mori fore paratissimum, omnem hæreticorum in nos con:
:jurantium detexit malitiam, ob quam nos magis lætabundi quid
pro gloria Dei, Fidei sanctæ incremento aliquid saltem supportare va:
:leamus, etsi die tota solis radijs expositi potentissimis primi post
ejus occasum à catena soluti, per totam Civitatem plurimâ concur:
:rente turbâ, unoquoque suô modô nos blasphemando, injurian:
:do, conducebamur ad Caschess, seu unius portæ Generalis domum,
quam paulò ante in meo Girgensi adventu à malo corporis sanavi,
periculosè decumbentem. Credebam futurum nostrum fautorem &
Patronum, sed ille omnis oblitus percepti beneficij, tanquam obses:
:sus in rabiem, feriámque actus, dum ejus præsentiam conspexi:
:mus manum exosculantes clementem sperabamus, verùm rigidè
demandavit servis, projicite hos tres maledictos canes in fora:
:men subterraneum collô ancatenatos, alijs conjungite reis proac:
:jus sententia more Patriæ de novo manum osculati in teterrimum
subterraneam conducti fuimus carcerem abs fenestris, unô solùm
unius palmi foramine provisum, vix viginti pedum magnum, quad:
:raginta captivis ob varia latrocinia, furta, aliáve majora crimi:
:na jam impletum, associati, in una eademque ferrea catenâ om:
:nes more mahometanô per collum alligati fuimus, insimul forti:
:ter constricti, ut vix unus post altero sedere valens, curvis ad: